Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

smaragdum. Fecit autem agapitus omnia que sibi a patre monasterii fuerant imperata, et introduxit smaragdum in cellam solitariam. Et erat ibi orationibus vacans, ieiuniis vigiliisque nocte ac die operam dabat, serviens domino in simplicitate cordis sui, ita ut miraretur predictus frater qui eum susceperat, et omnes fratres eius constantiam, et omnes collaudabant dominum, qui in infirmitate talia operatur. Pafnutius autem pater eius cum reversus esset domum, festinus ingressus est cubiculum in qua filia eius manere consueverat, et non inveniens, tristis merensque effectus cepit anxie inquirere servulos et ancillas, quid de eufrosina actum esset. Pueris autem dicentibus quia sero noctu vidimus eam, mane autem non comparuit. Et putavimus quod pater illius qui eam desponsaverat venerit et tulerit eam, misit servulos suos ad domum ipsius.

HODIE RUS Autem spon[sus] Vero non invenerunt eam. [spon]sus eius et pater ipsius contristati sunt valde. Et venientes ad domum pafnutii, invenerunt illum vehementer afflictum iacentem in terra et dicentem eis: Forsitan aliquis seduxit eam, et cum illa fugit. Statimque precipiente illo servi cum equis per totam alexandriam egypti pervenerunt. Erant autem ibi naves, intrantesque in eas requirebant eam per navium, et scrutantes monasteria puellarum, heremum, speluncas, per domos amicorum et vicinorum. Et dum nusquam reperta fuisset, tamquam mortuum lugebant eam. Socer nurum, sponsus sponsam flebat. Pater filiam lugebat dicens: Heu me heu me filia mea dulcissima, heu me lumen oculorum meorum, consolatio vite mee. Quis meam invasit facultatem? Quis meam sparsit possessionem? Quis meam vineam resecavit? Quis meum lumen extinxit? Quis spem meam fraudavit? Quis pulchritudinem meam violavit? Quis lupus meam agnam dissipavit? Quis locus talem vultum sic solet abscondit? Quale pelagus captivam ducit illam imperialem faciem? Illa generositatis constructio, illa laborantium requies, gementium portus erat. Terra terra ne celes sanguinem meum, donec videam quid eufrosine filie mee contigerit. Hec et his similia pafnutio persequente, elevaverunt omnes qui aderant vocem et flebant, ita ut omnis civitas lamentaretur eam. Non sufferens autem pafnutius, nec inveniens consolationem, perrexit ad memoratum de quo supra diximus monasterium, et procidens ad pedes abbatis dixit: Peto necesse domine ut orare sit, inveniatur labor orationum tuarum. Nescio enim quid acciderit filie mee. Audiens autem memoratus abbas senex venerabilis et dignus deo contristatus est valde, et iussit adesse omnes fratres advenire et dixit eis: Ostendite karitatem fratres, postulemus a domino ut dignetur nobis ostendere quid factum sit de filia amici nostri pafnutii. Et ieiunantibus omnibus et orantibus in tota ebdomada, nichil eis revelatum est de eufrosina sicut solebat quando aliquid rogabant. Oratio enim eufrosine erat ad dominum die noctuque ne manifestam eam faceret in vita sua, et exsuperabat oratio eius omnes. Cum autem fieri non revelatum esset, nec alicui fratrum, cepit consolari eum abbas et dicere:

Planctus pafnucii pro amissione filie ut putabat

Noli deficere fili a disciplina domini, quia quem diligit dominus corripit. Et hoc scias quia sine voluntate domini nec unus passer cadet in terram. Quanto magis filie tue absque illius nutu nichil pervenit. Scio quia bonam partem elegit. Propterea nichil nobis de ea revelatum est. Si enim quod absit in malis operibus incidisset, numquam desperaret deus tantum laborem fratrum. Habeo enim fiduciam in domino quia in hac vita ostendat eam tibi deus. Audiens hec pafnutius recepit consolationem, gratias agens deo, et orans cottidie bonis operibus et elemosinis.

POST ALIQUOS Vmentus erat. autem dies visitabat monasterium, commendabatque se orationibus fratrum. Et veniens ad abbatem procidit se ad pedes eius et dixit: Ora pro me pater quia non possum ferre dolorem de filia mea, sed magis ac magis de die in diem renovatur vulnus meum, accrescit et tribulatur anima mea. Videns autem senex eum nimium afflictum dicit ei: Vis colloquium habere cum uno fratre spirituali qui venit de palacio theodosii, ignorans quod filia eius esset. Dicit ei pafnutius: Volo. Et vocavit abbas agapitum dixitque ei: Tolle domnum pafnutium et introduc eum in cellam smaragdi, nichil ei ante innotescens. Cum autem vidisset subito patrem suum et cognovisset eum, tota lacrimis repleta est. Pafnutius autem sperabat in esse compunctionem. Non enim cognovit eam, quia species vultus eius emarcuit propter nimiam abstinentiam vigiliasque et lacrimas. De cuculla autem operuit faciem suam ne aliquomodo cognosceret eam. Facta autem oracione sederunt, et cepit ei loqui de futura regni beatitudine et gloria sempiterna, quomodo per elemosinam et sanctam conversationem, per humilitatem et karitatem ad eam quis possit pertingere, et de contemptu seculi, nec diligendos filios plus quam dominum, nec patrem super eum qui omnium extitit factor. Apostolicam quoque scripturam interpretans quomodo tribulatio patientiam operatur, patientia probationem. Videns autem patrem suum in gravi merore compatiebatur ei. Sed timens ne eam agnosceret, impedimentumque ei faceret, volens consolari eum dicit ei: Crede mihi quia non despiciet te deus, sed si in perdicione esset anime sue filia tua, manifestaret tibi deus eam, ut nec illa a diabolo eterna inferret sibi et tibi luctum perpetuum. Sed credo in dominum quia bonum consilium elegit, sicut iam dixi. Secundum euangelium in quo dicitur: Quia qui diligit patrem aut matrem super me non est me dignus. Et si quis non abrenuntiaverit omnibus que possidet non potest meus esse discipulus. Potens est autem deus et in hoc seculo manifestare eam tibi. Desine iam desine, quid temetipsum interficis contristando? Sed age gratias deo nichil desperans. Nam agapitus magister meus multum timens dominum nimis tristis dicebat michi: Quia venit quidam nomine pafnutius operibus bonis intentus, qui filiam suam tamquam mortuam luget nesciens quid ei acciderit, et nimia lamentatione affligitur, maxime quia unica erat illi. Et cum lacrimis procidit se ante pedes abbatis, ut per eius oracio